



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXVII. De matre ipsorum puerorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

omnia, flante Spiritu sancto, pueri altius suis imbibere pectoribus: neque diu cunctati, credere se velle, atque baptismum percipere dixerunt.

Episcopus ergo latissimus, pueros statim catechizat, ac de omnibus, quæ Christianæ religioni competebant, diligenter instructos, iussit, ut loti, & lotis induti cum cereis suis, & albis sese præberent baptizandos. Illi, ut moniti erant, silenter exequentes omnia, die statuto, parentibus insciis, loti & purificati, nouisque ac mundis vestibus induti cum albis & cereis percepturi sanctum baptismum se manibus Episcopi obtulerunt. Videns humano in corpore vultus Angelicos, videns expulsam dæmoniâ squaloris inertiam, in vultibus iuuenum Christum nouum hominem gratiose iam coruscare aspectu, Pontifex ipse, omnesque alij Sacerdotes & Clerici gauisi sunt & admirati super gratiam, quam videre in pueris. Sed quid morer? Baptizati sunt, & propter octauam Purificationis octo dies apud nos commorantes, in domos parentum non sunt reuersi.

*S. Osbo pueros catechizat.*

*Baptizantur.*

### De matre ipsorum puerorum.

#### CAPVT XXVII.

**M**ater verò illorum puerorum (nam pater domo ab-  
erat) ubi, quæ gesta sunt, audiuit; pueris nondum  
exalbat, ultra quam dici queat, gaudio perfusa,  
cuidam de pueris suis: Vade, inquit, nuntia Do-  
mino meo Episcopo, quia ipsum & filios meos videre venio.  
Erat enim matrona magnæ honestatis & potentia in ciuitate illa. Episcopus ergo audiens illam aduenire, de sub tecto  
exiens in graminis cespite sub diuo consedit, suosque rege-  
neratos adhuc in albis positos, circumsedentibus Clericis,  
ad pedes suos collocavit. Sed ubi matrem eminens aduenientem  
conspiciunt, modestè confurgentes, & Episcopo prius  
inclinantes, quod advertere pulchrum fuit, quasi petitâ licentiam.

*Sofridus.*

*Mater puerorū gaudio exultat ob baptizatos filios.*

*Mater confert se ad Episcopū.*



centiâ, obuiam ei vadunt. Quos illa intuens albatos, magnitudine gaudij quasi amens & stupida, soluta in lacrymas, subito in terram corruit. Accurrit Episcopus, accurrunt Clerici, leuant, tenent, consolantur. putabant enim, quod nimietate doloris defecisset. At illa recuperato flatu: *Benedicite*, inquit, *Domine IESV Christe*, totius spei & consolationis auctor, quod ad filios meos tuis Sacramentis imbutos, tuæq; fidei veritate aspicio illustratos. Scis enim *Domine IESV Christe*, quod hos, (tenensque osculata est pueros, & amplexata) in secreto pectoris mei tuæ miserationi iam per multos annos commendare non cessavi, petens, vt hoc eû faceres, quod fecisti.

*Gratias agit  
Deo ob conser-  
uationem filiorû.*

*Oratio matris  
ad Episcopum.*

Deinde ad Episcopum; *Benedictus*, inquit, introitus tuus in hanc ciuitatem, *Domine & Pater* reuerendissime. Multum enim populus tua perseverantia Domino hîc habet acquirere. Non te dilatio fatiget. En ego ipsa, qua coram te adsto, Dei omnipotentis adiutorio, & tui, *Pater*, animata presentia, sed & pignorum meorum freta subsidio, Christianam me confiteor, quod hæctenus non audebam. Sicut enim procreata est, in diebus adolescentiæ suæ de terra Christianorum per rapinam ablata fuit; & cum esset ingenua & speciosa, gentili homini marito suo, diuiti ac præpotenti viro, copulata est, & eosdem filios ex illo suscepit.

*Munera matris  
à S. Othone ob-  
lata.*

Episcopus ergò super his omnibus Deum benedicens, confitenti & confidenti matronæ Verbo cõfortationis fidem auxit & fiduciam, suæque liberalitatis non immemor, griseæ pelliculæ chlamydem preciosam ei dedit; & eadẽ petente, atque cum fiducia iam euangelizante, omnes eius domesticos aqua tinxit regenerationis; deinde omnes conuicinos eius & familiares, viros ac feminas cum paruulis suis eadem fidei societas paulatim inuoluit. Pueros quoque ipsos, post expletos octo dies, in die depositionis albarû, duabus camisiis de subtili panno velliuit, & easdem camisas auriphrygio in ora capicij, & futura humerali atque brachiali ornari eis fecit; duosque cingulos aureos; tradens & calceamenta picturata. Verboque doctrinæ ac Sacramento Eucharistiæ eos communicans cum gaudio in domum matris remisit.

*Quomodo S. O-  
tho post octauam  
diem paruulos  
abs se dimiserit.*

*Tiemo.* Miris modis aurum suum & donaria Otto nossee expen-



expedit. Vt enim salui essent homines & precio conduxit, & verbo instruxit, rudisque alumnos & spiritualibus documentis informabat, & corporalibus beneficiis conciliabat.

*Sesfidus.* Optimè animaduertisti. Sed quanto scœnore denaria sua in thesauros Domini sui aliquoties congesserit, ex his poteris conicere.

*Quomodo pueri pueros attraxerint, & de patre, qui domo aberat.*

CAPVT XXVIII.

**R**afati etenim pueri cum ad suos adolescentes *Sesfidus.* peruenissent, & quomodo ab Episcopo habiti & instructi essent, & quanta apud illum esset disciplina & honestas, quanta pietas & mansuetudo, ruminare cœperunt: mox etiam quantæ munificentæ & liberalitatis circa omnes extiterit, prædicare obliui non sunt. Atque in argumentum rei; Cernite, inquit; hîs indumentis post omnia beneficia sua nos induit; his aureis cingulis honorauit; pecunia sua captiuos redemit suos: impensis eosdem vestit; cibo reficit, & liberos abire admittit. Quid vnquam simile visum, auditumue in terra Pomeranorum? quid simile Pontifices & Sacerdotes nostri faciunt? hunc certè aliquem visibilem Deum inter homines aduenisse, ipsa gratuita redemptio captiuorum in cippis & compedibus putrefactorum, multos ciues nostros fecerat autumare. Sed ille hoc negans, non Deum se, sed Dei altissimi seruum pro nostra salute ad nos directum dici & credi optat; & anime immortalitatem, & corporum resurrectionem, & æternam vitam gloriam, doctrinans dicit esse Christianorum. quare non credatur ei?

*Puerorum ad coauos & Sodalitas suos oratio de pietate & liberalitate S. Othonis.*

Hæc & his similia pagana iuuentus à iuuenibus audiens, aspirante gratia Dei, tracta est & attracta per eosdem in eundem fidei feruorem; reuersique ad Episcopum pueri fide recenter imbuti, more columbarum alias trahentium, gregem non modicum adduxere coæuorum, Euangelij rudimenta suscipere cupientium. Quid multa? catechizantur, baptizantur.

*Pueri baptizati alios ad baptismum adducunt.*

1 a zantur.